

Tom: LXXVI. Miscell.

~~G.H. 70.~~ EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

17-18.

SIGNAT. 61515CCCXIII.

cc)

Σὺν τῷ Θεῷ !
DISPUTATIO THEOLOGICA
De
**SACRA SCRIPTU-
RA.**

*ex dictō Classicō, 1. Tim. 3. 16.
adornata*

Quam
In Electorali Academia VVittebergensi
SUB PRÆSIDIO
VIRI

Plurimum Reverendi, Amplissimi, Excellentissimi

DN. ANDREÆ KUNADI, S.S.

Theol. D & P.P. celeberrimi, Consistorij Electoralis
Adfessoris, nec non Alumnor. Elect. Ephori
spectatissimi,

Domini, Præceptoris Patroni, atq; Promotoris sui semper
per reverentèr colendi

*Ad publicam, eamq; placidam collationem
proponit*

M. JOH: ADAM FABER, BOIORUTHO-FR.

S.S. Theol. Stud. & Alumn. Brandenb.

Ad diem Novembr.

In Auditoriō Majori.

VVITTEBERGÆ,

Ex Officinā JOHANNIS HAKE, M DC LIII.



De
S. SCRIPTURÆ Complexû, divinâ Auto-
ritate & sufficiente Utilitate ex Dicto classicò 2. Tim. 3. 16.

Meminit Moses in Historiâ Patriarcharum inter cetera, quod puteos, quos Servi Isaaci invenissent, Philistini superingestâ terrâ obstruxerint, quò minùs ijs ad usum domesticum uti & frui possent, Gen. 26, 15. Hoc Origenes interpretatur de petulantia & noxâ illorum Hereticorum, qui sacras scripturas superingestis terrenis Commentis & humanis Traditionibus obstruere & inutiles reddere conantur. Quâsanè non inepta est Allegoria. Sunt enim Scripturæ Sacræ fontes illi Israelis, Ps. 68. 27. ex quibus pii aquas vivæ Consolationis hauriant adversus sitim spiritualem, & adversus æstum variarum tentationum, quemadmodum Hieropsaltes hoc suò ipsius experimentò confirmat, Nisi Lex tua, dicens, consolatio mea fuisset, perissem in consternatione meâ, Ps. 119, 29. Hinc Spiritus S. eos, qui neglectò & sublatò Verbò DEI suas cogitationes proposuerunt, dixit vacuam fecisse animam esurientem, & sitienti aquas abstulisse, Jes. 32, 6. significans, qui Verbum DEI tollerent, eadem operâ consolationes piorum tollere & evacuare. Pridem hoc crimine se obstrinxerunt Papista, quando in Sacram Scripturam inveci eam modò obscuritatis, modò insufficientiæ, modò imperfectionis arguerunt, modò etiam superinductis traditionibus humanis eam Laicorum, quos vocant, manibus eripere, adeoque prorsus inutilem reddere conati sunt. Non enim ignotæ sunt blasphemix Andræ, Huntlei, Cani Carpentarij etc: qui Scripturam S. Nasum Cereum, Regulam Lesbiam, Literam Mortuam, Librum Hereticorum, Materiem litis appellare non dubitarunt. Quemadmodum autem laudi ducitur Servis Isaaci, quòd fontes à Philistinis obstructos repararunt. Ita omnes illos, quibus Cura Ecclesiæ & Custodia Verbi demandata est, decet Scripturas à Pontificijs abjectas, contentui expositas



tas & humanis traditionibus praegravatas, vindicare, & in usum Ecclesiae Christianae fideliter repurgare. Quamobrem ut & Nos aliquod operae pretium faciamus, visum est, brevem *διασκεψιν* instituere dicti illius classici ex 2. Tim. 2, 16. in quo Apostolus Timotheo discipulo suo persuadere conatur, ut fideliter permaneat in agnitâ veritate, fundatâ in sacris Literis, quas à teneris didicerit, Argumento inter caetera petito à *divinâ Autoritate & Utilitate S. Scripturae*. Qua de re dum Nos singulatim aliquid dicturi sumus, veneramus DEUM Patrem Luminum, ut Spiritus S. gratiam nobis largiri, & hanc nostram opellam ad Nominis Sui divini gloriam & Ecclesiae Christianae aedificationem dirigere clementer dignetur, per JESUM CHRISTUM Dominum & Salvatorem nostrum Amen.

TEXTUS. 2. Tim. 3. 16.

16. πᾶσα γραφή θεόπνευτος ἐστὶ καὶ ὠφέλιμος πρὸς διδασκαλίαν, πρὸς ἐλεγχόν, πρὸς ἐπανόρθωσιν, πρὸς παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ,

17. ἵνα ἀρτιῶν ἢ ὁ τὸ θεῶν ἀνθρώπων πρὸς πᾶν ἔργον ἀγαθὸν ἐξηρησαμένον.

Omnis Scriprura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum in Justitiâ:

Ut perfectus sit homo DEI, ad omne opus bonum instructus.

B. Lutherus.

Alle Schrifft von GOTT eingegeben ist nützlich zur Lehre/zur Straffe/zur Besserung/ zur Züchtigung in der Gerechtigkeit:

Daß ein Mensch GOTTES sey Vollkommen/ zu allem gutem Werck geschickt.

CAPUT. I. De Subjecto, Seu Scripturae Complexu.

I. Ut autem de Subjecto incipiamus, certum est, quod Apostolus per Scripruram intelligat *Verbum DEI*, quod nihil aliud est, quam *conceptus divini Intellectus per revelationem nobis communicatus, quantum Nos DEUS scire voluit de ipsius Essentiâ & Voluntate circa Ecclesiae constitutionem & negocium nostrae Salutis.*

Hoc

Hoc enim in præcedenti commate *ἱεραὶ γράμματα* sive sacras Literas; in hōc verò versu Scripturam *θεοπνευστον* sive divinitus inspiratam appellat, eamque à multiplici & salutari usu commēdat, quod non solum in genere quemvis possit ad salutem erudire, sed etiam in specie *Virum D E I* ad omne opus bonum sive ad omnes partes officij Ecclesiastici præstandas satis instruere & aptare.

2. Quâ ratione Sacra Scriptura ab omni aliâ scripturâ & doctrinâ humanâ discernitur; quæ si maximè bonos mores & *πρὸς ἄλλους* quodammodo ostendere & commendare queat; tamē nec ab errore immunis est, nec hominem ad *D E U M* convertere, aut Vires rectè agendi communicare, nec salutem æternam polliceri aut præstare potest. Nam *Φρόνημα τῆς σαρκὸς* seu *prudensia carnis iuimicitia est adversus D E U M*. Non enim Legi *DEI* subicitur, sed ne potest quidem. Rom. 8. 7.

3. Intelligit autem *Verbum D E I* certò modò traditum, videlicet quatenus scriptum & in literas relatum est. Quâ ratione connotatur illa Literatura, quâ *Verbum D E I* primitus conscriptum fuit, veluti est in Veteri quidem Testamento, *Lingua Eberina*; in Novo verò *Hellenistica*, seu Græca quibusdam Idiomaticis Orientalium Linguarum interspersa.

4. Unde consequitur *Vocales* quoq; *Hebraeorum* ad Scripturâ pertinere. Nam sine illis *verbum* integrum non constat. Seco igitur Sacri Scriptores *Verbum D E I* plenè non expressissent, nisi, quantum in voce erat, *scriptione* etiam expressissent. Ratum enim & hic est illud tralatitium: *τὰ ἐν τῇ φωνῇ τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων σύμβολα, καὶ τὰ γραφόμενα τῶν ἐν τῇ φωνῇ.* Arist. de Interpr. c. 1. Nec obstat, quod de *Codice* etiam non punctato legere videantur peritiores Hebraei. Nam illi integrè quidem pronunciant voces, sed non integrè legunt; verum ex Intellectu & *Memoriâ* suppleunt, quæ in *Scripturâ* desunt; perinde ut illi faciunt, qui *Hymnum* canunt ex *Libro Notis Musicis* nō instructo. *Textum* enim ex *Libro* petunt; Sed *Melodiam* ex *cerebro* addunt. Sic multa memoriter recitantur; quam si quis *Lectioem* appellaret, à proprietate vocis nimis abiret.

Quicquid ergo integrè scriptum non est, integrè etiam legi & de charta recitari non potest.

5. Ad hæc distinctio & determinatio sensus ac conceptus pûtorum Vocalium additionem requirebat. Nam si propria Vocalia cuius Vocis non fuissent adscriptæ, manentibus iisdem Consonantibus aliæ atque aliæ Vocales potuissent substitui; quâ ratione dubitandum foret, quam sententiam DEUS intellectam vellet, Jam verò DEUS nobis voluit describi & proponi *Ἐβραϊστικῶν λόγων*, certum ac firmum sermonem Propheticum, eumque à Patribus fam. legi, intelligi & domesticis suis explicari, deut. 6, 7. Scriptum ergo oportuit plenè ac perfectè, ne quid ad denominationem sensus divinitus intenti jure desiderari posset.

6. Cum autem plures ab aliis Libri scriberentur, & Ecclesiæ offerrentur, qui, quamvis aliàs ad ædificationem morum utiles essent, non tamen à viris *θεοπνεύστοις* consignati erant; inde natum est discrimen inter Libros Scripturæ *Canonicos* & *Apocryphos*. Nam *Ecclesia* tanquam *Depositoria* & *Custos S. Literarum*, Libros, quos noverat à Viris *θεοπνεύστοις* profectos, recepit, & tanquam *Canonicos* Posteritati suò testimonio commendavit: Cæteros verò sub Nomine *Apocryphorum* ab illis discrevit & quavis ad formandos mores utiles esse posse judicaret, tamen eos, nõ nisi humanæ aut oritatis, & erroribus obnoxios esse testata est. Huc igitur spectat, quod Ecclesiastes monet: *His amplius Fili mi ne requiras: Faciendi plures Libros nullus est finis*, Eccl. 12, 12. Et B. Lutherus super hæc verba: *Ex hoc Locò Conjicio fuisse aliquos ordinatos in isto populo, quorum officium erat relegere libros & veras historias, quas digererent in Annales Hebraorum, reliquos in ordinem redigerent, ut sic facerent Libris auctoritatem, & approbarent, qui digni essent lectu. Sic multi fuerunt autores, qui scripserunt Biblia; ex istis autem omnibus recepti & approbati sunt illi Libri, quos hodie vocamus Biblia.* Haftenus Luth. Tom. 4. Witt. P. 47.

7. Hoc est quod aliàs disputatum de *Autore Constituti Canonis*. Nam V. T. Libros *Canonicos* collegerunt *Sacerdotes* & *Prophetae*; novissimè verò post solutam *Babylonicam Captivitatem* *Vivis Synagoga Magne*; Unde originem traxit *Canon Judæorum*, quem

quem ex Testimoniò Veteris Ecclesiæ B. Hieronymus descripsit
in Prologo Galeato. Novi verò Testamenti scripta Canonica as-
servarunt & sibi invicem communicarunt Ecclesiæ, quibus illa
singulatim fuerunt dedicata: Universa verò vidisse perhibetur
& probasse, & appositò anathemate obsignasse B: Johannes A-
poc. 22, 18.

8. Aliàs *Vetus* est *Traditio* de Canone V. Testamenti, Esdræ
Libros Biblicos, postquam in Incendiò Chaldaicò cum Urbe ac
Templò primò conflagrassent, ex Memorià restituisse; Unde
quidam concludere volunt, Sacrorum Librorum, quos nunc ha-
bemus, non *Mosen* aut alios, quorum Nomina Libri præse ferunt,
sed *Esdræ* scriptorem & autorem censendam esse. Sic *Pererius*
Præf. in Genesim. Perhibentur autem favisse illi Opinioni *I-
renæus* l. 3. c. 24. *Tertullianus* l. de habitu Muliebri. *Clemens Ale-
xandr.* l. 1. Stromatum. *Eusebius* in Chronicis. *Hieronymus* adversò
Helvidium & alii non minoris autoritatis.

9. Verum non periisse Libros *Mosis*, vel quòvis alios Biblicos
incendiò Chaldaicò, ut prorsus nullum eorum Exemplar reli-
quum manserit, argumento est, quod nullum in Sacris extet ve-
stigium, sive de Intentione comburendi, sive de eventu. Nam
Jeremias & alij enumerant satis lugubriter omnia flagitia, qui-
bus Chaldaei Judæis agrè fecerunt. Sed de Combustione legis ne-
gry meminerunt. Quòd autem majus & scelestius committi
potuisset facinus, quam crematio divinæ Scripturæ? sanè *Iere-
mias* non potest sine insigni dolore ac stupore describere, quòd
Rex *Jojachim* pagellas Oraculorum divinorum ab ipso per *Bar-
ruchum* propositorum comburi curasset; quin actutum divinam
Vindictam Regi intermineretur *Ier. 36, 23. - 30.* Cumq; Spiritus S. 2.
Reg 25: recenferi curavit, quicquid *Babylonij* sive abstulerint
ex Templo, sive aliàs mali designarint, non taciturus erat de hoc
sacrilegiò, siquidem accidisset. Hinc cum aliquando Rex *Anti-
ochus* tempore *Maccabæorum* jussisset Libros Sacros ex omnib; *an-
gulis* inquiri & in cineres redigi, id tanquam atrocissimum
Flagitium & sacrilegium habitum & annotatum est, *1. Maccab. 1.*

10. Idem probat Exemplarium & Sacerdotum, ante factam
Urbis

Urbis ac Templi conflagrationem, *disperſio*. Ut multiplicarentur Legis Exemplaria, & mandatum erat à Deo & requirebat Sacerdotum officium, quibus incumbere Legem ſemper ad manum habere, ut quid factò opus eſſet & ipſi ſcirent, & alios docerent. *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & Legem requirent ex ore ejus*, Mal. 2, 7. Fuiſſe autem Sacerdotes in deſcribendis & multiplicandis Exemplaribus diligentiſſimos vel inde conſtat, quod *Antiochus* quantacunque ſolertiâ Libros Sacros ad ignem conquiſiverit, efficere tamen non potuerit, ut omnes perirent, quin Judæi circa tempus perſecutionis Libros Legis in *Mafpha* aperirent, 2. Maccab. 3. Adhæc in primâ *μετοικεσία* annis ante Conflagrationem Urbis undecim circiter, cum *Ioachimò* Babylonem translati ſunt Univerſi *Principes & omnes Viri præſtantes*, 2. Reg. 24, 14. quos inter & *Ezechiel* fuit Propheta & Sacerdos, qui aliquoties Legis divinæ meminuit, & ad obſequium ei præſtandum concaptivos invitavit, Ezech. 5, 6. Quis vero credat Virum Zelò Legis divinæ ardentem nullò illius Exemplari fuiſſe inſtructum? Eadem valet de aliis quoque conſequentia.

11. *Accedit ſingularis Libertas Jeremia* à *Babyloniis* Dei nutu conceſſa, de qua dicitur Jer 39, 11. Quod *Nebucadnezar* in mandatis dederit *Nebufar Adani* Stratego, *ne quid mali ei faceret, ſed prout ipſe vellet ac loqueretur*. v. 12. Et ſi Libris *Maccabæorum* fides eſt habenda, *Jeremias* permiſſu Regis ex Templi incendio eripuit Arcam, Altare Incenſi & Tabernaculum, 2. Maccab. 2, 5. An putabimus eum Legis divinæ, quam tantoperè Judæis inculcavit, nullâ curâ tactum fuiſſe?

12. Quid quod *Daniel* in ipſâ captivitate ante *Esdram* Legis *Moiſaicæ* meminuit, tanquam præſentis, quam in promtu & manibus haberet, ad redarguendum peccata populi, Dan. 9, 13. Sed & *Joſephus* 2. 11. *Jud. antiq.* memorat *Cyrum* ad donandum Judæis libertatem permotum fuiſſe, *Oraculo Jeſaiæ*, quod ipſi ex vatis volumine à *Daniële* oblatum, pollicebatur ampliſſimum Imperium in Mûdo. Oportet igitur antequam *Esdra* libertatem acciperet, in promtu fuiſſe Vaticinium *Jeſaiæ*.

13. Præ-

13. Præterea *Rabbi Jacob filius Haym* in hac Controversiâ sese *R. Kimchio* opponit, & strenuè negat, Esdras Libros Legis & Prophetarum dubios, corruptos aut confusos invenisse, quin difertè statuit, illum & Collegas ejus Biblia sacra invenisse Integra & Illæsa, & judiciò suò dignovisse, qui Libri scripti essent per Sapièntiam illam Excellentem seu inspirationem Spiritus S. Vid. *Munster. Prefat. in V. Testam.*

14. Quod a sequiorem Opinione attinet, illa assertio de deperditis Libris Sacris & de *Esdrâ Bibliorum Reparatore* videtur petita esse ex *4. Esdræ cap. 14, 20.* Ubi Esdras ipse introducit ad DEUM dicere: *Lex tua incensa est, propter quod nemo scit, quæ à Te facta sunt, vel quæ incipient opera. Si inveni gratiam in Te, immitte in me Spiritum S. & scribam omne, quod factum est in seculo ab initiò, quæ erant in Lege tuâ scripta.* Mox autem narratur eventus, quod Esdras inter 40. dies dictarit Libros ducentos & quatuor, quorum priores 134. jussus sit omnibus promiscuè proponere, reliquos autem septuaginta reservare & tradere solis Sapièntibus in populò suò,

15. Sed hic Liber, Unde hæc opinio petita est, *Apocryphus* est. Nullius igitur ad probandum autoritatis. Deinde non convenit Numerus Librorum cum genuinis, quos hodiè habet Ecclesia. Sed & Esdra ipse Canonicus hanc fabulam refutat. Nam *Esdræ 3, 2.* dicuntur *sacrificia instituta esse, secundum id, quod scriptum est in Lege Moysi* Confer *cap. 1, 6-12.* Vbi Esdras dicitur *סופר מורה* scriba seu Doctor expeditus in Lege Moysi. Moysi igitur erat illa scriptura, non Esdræ. Quin etiam *Nehem. 8, 2.* commemoratur, quod Esdras à populo admonitus asportare *Librum Legis Moysi*, cum proposuerit Univerfo populo. Vbi hæc distinctio Librorum Communium & Mysticorum? Falsa igitur & fabulosa, adeoque fabulosa est illa assertio.

16. Quod *Ezechielis 3, 26.* dicitur, fore ut pereat *Lex ab Ore Sacerdotis*; Illud non de omnimodò Legis divinæ interitu accipiendum est, sed de silentiò publicæ ac liberæ professionis, & de defectu Consolationis ex ore Sacerdotis secundum Scripturam requiri solitæ, q. tanta futura sit omnium rerum perturbatio, ut

B

ipsi

ipsi Sacerdotes, qui alios Verbô Dei erigere consueverint, inopes Consiliorum sint futuri. Igitur *Lex* dicitur *peritura* esse *non in se*, aut ratione scripturæ simpliciter, *sed ab ore Sacerdotis, quoad usum consilii & Consolationis.*

17. Sunt igitur alii, qui putant *Esdræ cum Viris Synagoga Magnæ Superiorum Auctorum Libros*; non quidem ex memoriâ restituisse deperditos, sed tamen hinc inde distractos collegisse, distinxisse & in certam seriem congeffisse, quam in rem modò allegavimus Auctoritatem B. Lutheri. Positò igitur, periisse incendiò Multa Librorum Sacrorum Exemplaria, sufficit quadam salva mansisse, quæ fuerunt sub manibus prioris Coloniae hominum, Sacerdotum item ac Prophetarum, quamvis distracta. Datò etiam, Esdræ cum viris Synagoga Magnæ refecisse loca pagellarum affecta, discrevisse Libros *θεοπνεύτων* Virorum genuinos ac publicos à Narrationibus privatis & spuriiis & collectos veros in ordinem distribuisse, tamen hinc nunquam evincetur, Esdræ Libros incendiò perditos ex Memoriâ renovasse.

18. Jam quandò Apostolus dicit, *πᾶσα γραφή* seu *Tota Scriptura*, eâ Voce complectitur *totum Corpus Librorum Canoniceorum Utriusq; Testamenti*. Quamvis enim videatur agere solùm de Scripturâ Propheticâ V. Testamenti, quam Timotheus à teneris Ungviculis didicerat: tamen *generaliter loquitur*, ut Scripturam etiam N. Testamenti, quæ maximam partem jam extabat, & ea, quæ adhuc addenda erant complectatur. Tum Unus & idem est Spiritus S. cujus instinctu non minùs Apostoli, quàm Prophetæ scripserunt & locuti sunt. Propter communem igitur Originem, auctoritatem & Indolem eadem prædicata & axiomata Scripturæ utriusque Testamenti conveniunt.

CAPUT II. De Divinâ S. Scripturæ Auctoritate.

19. Tribuitur autem Scripturæ S. singulare hoc Axioma, quòd sit *θεοπνεύτος* seu *divinitus inspirata*, quâ voce non solùm auctoritas & origo, sed etiam dignitas & *ἀσφάλεια* seu certitudo & immunitas illius ab omni errore significatur. Quod *originem & auctoritatem S. Scripturæ* attinet, est illa à DEO inspirata.

Nam

Nam Spiritus S. per singularem divinam revelationem illuminavit intellectum, excitavit Voluntatem, & gubernavit manus suorum Amanuensium, ut *ipsò non solum Verba suggerente & q. dictante, sed novissimè etiam per manus ipsorum lineas ducente* sacram scripturam adornarint. Quò sensu & Apostolus Petrus, quando de Interpretatione Scripturæ Propheticæ agit, scribit, eam non esse *ιδίας ἐπιλύσεως* seu privatæ interpretationis, eò quòd illa non humanâ Voluntate prolata sit, sed Sancti Dei Homines locuti sint *Φερόμενοι ἀπὸ πνεύματος ἁγίου*, impulsæ à Spiritu S. 2. Pet. 2, 20. Quare Spiritus S. est causa Principalis S. Scripturæ,

20. *Amanuenses* verò illius in Locò Petrinò vocantur *ἅγιοι θεῶν ἀνθρώποι* Sancti DEI homines, sic dicti non solum ob sanctitatem imputatam vel inhaerentem, sed potissimum etiam ob *peculiare illud scribendi Munus*, ad quod à Spiritu S. præ alijs fuerunt delecti & segregati. Huc autem pertinent Prophetæ & Apostoli, Illi Scripturæ veteris, Hi Novi Testamenti Concinnatores: Sic enim S. Paulus scribit, *conversos ex gentilitate non amplius esse hospites aut incolas, sed concives Sanctorum & domesticos DEI, superstructos super fundamentum Apostolorum & Prophetarum* summo angulari lapide existente Jesu Christo, Eph. 2, 19.

21. Cùm igitur Scriptura sit verbum DEI ab ipsò inspiratum, sequitur porro, quod ei etiam competat *ἀσφάλεια* seu *immunitas ab errore*. Nam Spiritus S. cujus ductu Amanuenses *θεόπνευστοι* scripserunt, est *Spiritus Rectus, Spiritus Sapientie & Intellectus, Spiritus consilij & fortitudinis, Spiritus scientie & timoris Domini*. Jes. 11, 2. *qui omnia scrutatur etiam profunditates Dei*. 1. Cor. 2, 10. Quò minus errare potest aut mentiri. Tùm sicut Prophetica Scriptura Testimonium habet divinæ *ἀσφαλείας*, quod sit *λόγος βεβαιότερος* 2. Pet. 1, 19. Ita Apostoli acceperunt promissionem perpetuæ adstantiæ Spiritus Sanctus & *infallibilis ὁδηγίας* seu *Manuductionis in proponendâ Evangelicâ Veritate*. Joh. 16. 13. Denique Scriptura à deo eò Consiliò instituta & inspirata est, ut sit certum fundamentum fidei, Canon

item veræ doctrinæ & Regula, secundum quam exigi oporteat omnes Controversias de fide & corruptelas doctrinæ refutari; id quod Oralis Traditio non potuit præstare.

22. Nam primùm quidem deus orali Traditione verbi sui, Ecclesiam regi ac doceri voluit; & Patriarchas, quorum Ministeriò in Ecclesiæ gubernatione utebatur, præcones, *Episcopos & Custodes* constituit *puræ & salvificæ doctrinæ*, quò respectu Noa præco Justitiæ. 2. Pet. 2, 5. & Abraham Propheta appellatur. Gen. 20, 7. Verùm depositum illud non diligenter ac fideliter satis asservatum est, quin doctrina divinitus tradita sensim depravata, & humanis Commentis corrupta fuerit. Præterquam enim quod homines Antediluvianii vias suas corruperunt. Gen. 6, 12. etiam post diluvium posteritas Sem, in cujus tamen Familiâ veræ Ecclesiæ sedes erat & veræ Religionis depositum asservari debebat, sensim à sinceritate Cœlestis doctrinæ defecit, ut Spiritus S. non immeritò dicat Majores Israelitarum *Diis alienis servisse*. Josuæ 24, 2. Quin etiã quamvis deus in itò fœdere cum *Abrahamo & Semine ejus* novis subinde revelationibus doctrinam salvificã instaurârit: Posteriores tamen Ægyptiorum offendicula secuti à sinceritate doctrinæ defecerunt, & illorum Idolis adhererunt, sicut deus ipse conqueritur. Ezech. 20, 6. Cùm igitur deus certas ob causas nollet amplius eâ ratione uti, ut semper per novas revelationes verbi sui sinceritatem ab exortis & introductis corruptelis vindicaret, non solum primus ipse decem illa Verba Legis suæ Tabulis lapideis inscripsit, Exod. 22, 15. Sed totam etiam postea Legem in literas per Mosen referri juslit. Exod. 34, 27. Num. 27, 14. adeoque ad conservandam deinceps Verbi sui puritatem Scripturam instituit, & sanctificavit, vid. Chem. Exam. Conc. Trid. L. de Scripturâ.

23. Hinc expediri potest Quæstio de Instinctu, Consiliò & Intentione scribendi, *an nim. Scriptura sit ὁμοίως incidenter, per accidens, & sine certò consiliò scripta?* quemadmodum Jesuita Majerus disputat Contr. 8. p. 280. ex Bellar. l. 4. de V.D. cap. 4. Quod autem S. Scriptura non sit fortè fortuna, sed divinò instinctu &

ctu & consilio adornata, probat *primùm* ipsa θεοπνευσία seu divina Inspiratio, quæ nihil aliud fuit, quàm instinctus divinus, quò Ipse scriptiois actus à Spiritu S. profectus est. Quicquid autem à Spiritu S. proficiscitur, gubernatur & perficitur, illud non fit *ἰουχότως*, aut forte fortunâ, sed ex divinò Consilio, beneplacitò ac Instinctu. Deinde Apostolorum officium ipsis divinitus injunctum erat docere. Doceri verò potest tum voce vivâ, tum scriptò, quemadmodum Apostolus suos monet, ut teneant Institutiones, quas didicerint, *sive per sermonem, sive per Epistolam*, 2. Thess. 2, 15. Vnde & Tertullianus meminit Apostolos Ecclesias condidisse, tam vivâ voce, quod dicitur, quàm per Epistolas. Lib. de Præscript. pag. 102. *Ad hæc* absentium & imprimis posterorum etiam ratio habenda erat, ut & illi haberent fidei fundamentum, & post Apostolorum tanquam Virorum θεοπνευστων decessum, Monumentum Veritatis. Nam & postea per Verbum Apostolorum consultum volebat Deus, quemadmodum Christus dicebat, *se rogare non solum pro Apostolis, sed pro iis etiam, qui per Verbum illorum in se credituri essent*. Joh. 17, 20. Nolebat autem sive Apostolos tamdiu in vivis conservare, sive deinceps immediatâ Inspiratione Doctores excitare; sed quod isti tanquam Testes προεξελεσθότων μέντοι prædicarent, in Litteras relatum & posteritati commendatum cupiebat. Ideò enim S. Petrus de suis Epistolis testatur, se isthæc scribere, *ut sui habeant post ipsius decessum ἡν τῶν μνήμην ποιῶσαι eorum meminisse*. 2. Pet. 1, 15. Confer. cap. 3, 1. Constat ergò S. Scripturam non incidenter & forte fortunâ, sed divinò Consilio & Instinctu adornatam esse.

24. Excipiunt Jesuitæ primò, *si Christus scriptum voluisset, tum scripturum fuisse vel Ipsum vel Petrum cæterorum Apostolorum Principem*. Jam verò nec ipsum Christum scripsisse, nec Petrum, nisi quòd hic Unam & alteram Epistolam Consolatoriam reliquerit occasione persecutionis Hierosolymitane. Act. 8, 1. Cæterò qui de dogmatibus fidei vel nihil, vel parum. Ergò jussu Christi non scriptum fuisse.

25. Resp. Primùm negamus Conseq. Majoris. Falsum enim est Christum ipsum in Ministeriò personali singula fecisse, quæ alios facere jussit. *Jussit baptizare*. Matth. 28. 19. *at ipse neminem baptizavit,*

vit, Joh. 4, 2. *Tum quamvis omnibus Apostolis licuisset scribere: tamèn potestatis illius Exercitium pendeat à peculiari divinò instinctu & liberrimâ dispensatione Spiritus S. qui dona & functiones variè solet dividere $\omega\epsilon\gamma\varsigma\ \tau\omicron\ \sigma\upsilon\mu\phi\epsilon\rho\nu$ ad usum & necessitatem Ecclesie. 1. Cor. 12, 7. Quod de Petri primatu annectitur, obsoletum est figmentum. Et si maximè B. Petrus quibusdam prerogativis personalibus reliquis Apostolis antecelluerit, tamen in Munere Apostolicò ceteros omnes habuit pares, sub Unò fidei Magistrò Christò, penes quem solum fuit per Spiritum S. dispensationem sui Evangelii pro arbitrato moderari. Matth. 23, 8.*

26. *Ut taceam, quod ad Minorem dici potest, quod Christus per Apostolos fecit, ipsum fecisse. Quicquid enim Ille de suis factis & dictis nos legere voluit, hoc scribendum illis (Apostolis & Evangelistis) tanquam suis manibus imperavit; inquit B. Augustin. l. 1. de Conf. Evang. cap. 36. Similiter enim licet Spiritus S. $\alpha\upsilon\tau\omicron\pi\rho\sigma\ \epsilon\pi\omega\varsigma$ nihil pronunciat: tamen perhibetur $\rho\eta\tau\omega\varsigma\ \lambda\acute{\epsilon}\gamma\epsilon\upsilon$ verbotenus dicere, 1. Tim. 4, 3. quatenus illud per alios peregit,*

27. *Deinde excipiunt, si jussi scripsissent Apostoli & Evangelistae, scripturos fuisse non meras historias aut Epistolas, sed potius Symbola aut Catecheses. Jam verò historias scripsisse & Epistolas, non Symbola aut Catecheses. Ergò.*

28. *Resp. Viris $\theta\epsilon\omicron\pi\nu\acute{\epsilon}\upsilon\varsigma\omicron\iota\varsigma$ Methodum docendi ac scribendi definire velle, temeraria praesumptio est. Mirum est autem siquidem illa Methodus tam necessaria est. cur eam ipsi Pontifices in decretalibus promulgandis observarint. satius procul dubiò facturi, si doctrinam catecheticaam Ecclesie proposuissent. Distingv. autem inter Materiale & Formale Catecheseos. Materiale continet Capita doctrinae Christianae de peccatò, de fide, de Officiò Christianorum, de Medijs dispensationis &c. Formale verò consistit in externâ Methodò & dispensatione Capitum & Articulorum. Ut fateamur, tradendam fuisse Catechesin, quantum attinet Materiale seu doctrinam ipsam; negamus eam hanc praecise Methodò ac dispositione, quae hic vel alibi in usu est, tradendam fuisse. Fides enim & salus non pender ab externâ Methodò, sed ab ipsò verbò DEI, quod pro ratione Circumstantiarum aliò atque aliò modò proponi potest, salva illius $\epsilon\nu\acute{\epsilon}\gamma\chi\epsilon\iota\alpha$. Certum est autem Evangelistas &*

Apo-

Apostolos in N. Testamento omnia Catecheseos Christianae Capita sa-
vis luculenter in scriptis suis tradidisse. Nam *Legis Ultramque Tabulam*
de duobus praecipuis Mandatis, Verbis Christi complexus est Matth.
22, 37. Et Apostolus Rom. 13, 9. *Symbolum Apostolicum* sparsum est per
omnes Libros N. Testamenti *Oratio dominica* extat Matth. 6, 9. *Sa-*
cramentum Baptismi institutum est Matth. 28, 19. & confirmatum Mar.
16, 19. *Claves* traditae sunt Apostolis, Joh. 20, 22. *Cena dominica insti-*
tutio describitur Matth. 26, 26. Marc. 14, 22. Luc. 22, 19. & repetitur 1.
Cor. 11, 13. & sic de ceteris.

29. Quare falso & Sophisticè in Adsumptione Historiae & Epistolae
Articulis fidei & doctrinae Capitibus opponuntur. Sicut enim in Vete-
ris Testamenti Scriptura, in Historiis Patriarcharum, Regum & Prophe-
tarum passim traditur Doctrina de Deo & cultu ipsius, de peccato & male-
dictione, de Messia Generis hum. Hyperaspiste, de lege & promissionibus
Evangelicis, de circumcissione tanquam Sacramento initiationis, de agno-
Paschali, de Fide, de Justificatione, de Bonis Operibus, de Ecclesia seu po-
pulo ac peculiò Dei, de Novissimo Judiciò, de vita aeterna; Sic in N. Te-
stamento scriptum est de omnibus, tum quae Christus in diebus carnis
suae coepit facere ac docere, Act. 1, 1. tum quae Apostoli praedicarunt &
in Literas relata posteritati commendata voluerunt. Nam Historiae
Sacrae non agunt de meris rebus Oeconomicis aut Politicis, sed prae-
cipue etiam de revelatione, propagatione & conservatione; inclinatio-
ne item ac repurgatione Doctrinae salvificae in populo Dei, adeò ut nul-
lum sit caput Doctrinae scitu necessarium, quin in Scriptura Canonica
reperiatur.

30. Nihilò verò plus roboris habet novissimum argumentum, quò
contendunt Libros Biblicos praecipue N. Testamanti *non à Populo*
& per oblatam ab aliis occasionem conscriptos fuisse. Hoc prebare
conatur Bell. d. 1. & illo praeeunte Majerus ex Eusebio, qui l. 3. Hist.
Eccl. c. 24. *Matthaeus ait, occasione data scripsit. Quia cum predicasset*
Hebrais, & ad gentes profectioem pararet, utile fore judicavit, si is, quos
Corpore deserebat, aliquod memoriale suae praedicationis, nempe scriptam
quam predicarat, Christiana Fidei Doctrinam relinqueret. Marcus etiam
ut legimus in eodem Eusebio l. 2. c. 15. non sponte sua, nec iussus à Pe-
trò, cujus erat Discipulus, sed compulsus precibus Romanorum scri-
psit Evangelium Johannes verò teste dictò Eusebio usque ad maturationem
Se-

Senecam sine ullâ Scripturâ Doctrinam Christi prædicavit, ac tandem, ut ait S. Hieronymus in lib. de Scriptorib. Ecclesiast. Compulsus ab Asiæ Episcopis Evangelium scripsit, propter Ebionitarum Hæresim tunc pullulantem. Hæc ergò, addit Majerus, & similia prorsus convincunt, Apostolos parum de Doctrinâ suâ scripto, sed potius voce relinquenda sollicitos fuisse. Hactenus ille.

31. Resp. Per Accidens & forte fortunâ fieri dicitur, quod sit præter intentionem causæ Principalis. Causa vero S. Scriptura principalis est Spiritus S. ut supra dictum est; cui præter intentionem nihil potest accedere, quin illud præviderit, & priusquam eveniret, ad certum usum destinârit. Quod igitur externam occasionem attinet, potest illa referri vel ad humanam & propriam Intentionem Apostolorum, ut fuerunt homines; vel ad divinum instinctum, quò ad scribendum acti sunt. Fieri enim potest, ut Viri Dei, dum thesaurum divinum adhuc in Vasis fragilibus gerunt, interdum aliquid humani patiantur. Sic Samuel cum venisset ad unguendum aliquem Regem ex filiis Isai, primùm de Eliabò cogitabat, an ille coram Domino esset Christus ejus? Verum hic non erat electus. Cum autem David accessisset, surge, dicebat Dominus, Hic est; Unge eum, 1 Sam. 16, 6-12. Quod si ergò de humanâ Apostolorum intentione quæstio esset, forsitan dici posset, eos de oblatâ occasione non cogitasse; Verùm quia de divinò instinctu, Consilio & impulsu sermo est, pro certò & compertò habemus, Spiritum S. omnes occasiones & circumstantias scribendi prævidisse, & singulatim suis Amanuensibus obtulisse, eosque, ut secundum illas scripturam suam adornarent, internò instinctu impulsisse, ut ita de Scripturâ Novi quoque Testamenti non minùs ac de Scripturâ Prophetica certum sit: *Non voluntate Hominis allata est Prophetia, sed à Spiritu. S. impulsu, locuti sunt Sancti Dei Homines* 1. Pet. 1, 21.

CAPUT. III.

De S. Scripturæ Utilitate.

32. Nunc pergit Apostolus explicare Utilitatem S. Scripturæ, ubi dicendum est, partim qualis Utilitas intelligatur, tum ad quid illa sese extendat; tum denique cujusnam opera illa dispensanda sit. Quod primum attinet, *ὡφέλεια* seu utilitas illa Scripturæ non solum efficaciam divinam, sed etiam necessitatem aliquam & divinam ordinationem ad præstandos illos usus involvit. Non enim concedendum est, qui
ratio-

Rathmanus dicebat, S. Scripturam esse nudum & per se ἀκίνητον, ἀ-
πνευστον καὶ ἄεργον seu otiosum signum, sed statuendum est eam simul
continere sensum divinum, & vivificam virtutem. Nam verbum Dei est
vivum & efficax & penetrantius quovis gladio anticipi, & pertingit ad divi-
sionem animæ ac Spiritus, Compagumque & medullarum, ac discretor est co-
gitationum ac intentionum cordis. Hebr. 4, 12. Est Spiritus & vita, Joh.
6. 63. & Potentia Dei ad Salutem omni credenti, Rom. 1, 16. Jam verò S.
Scriptura est illud Dei verbum, quod Deus Sanctis hominibus inspira-
vit, & Ecclesie tanquam pretiosum depositum commendavit. Quare
Scriptura S. non est nudum & otiosum signum. sed efficax & potens ac
divinitus institutum Conversionis & Salutis nostræ Medium.

32. Objiciunt Rathmanniani, Virtutem, quæ Scripturæ adscribi so-
leat, Magicam esse, signi enim officium, significandò absolvi: Sed Re-
spon. distingv. inter Virtutem Magicam & divinam. *Vis Magica* pen-
det à præstigijs Satanz, & à superstitione hominum: Sed *virtus divina*
pendet à divinâ Institutione & dispensatione. Quò respectu Evangeli-
um dicitur *potentia Dei ad Salutem omni Credenti*, Rom. 1. 16. Dein-
de dicimus, Scripturam in hæc controversiâ sumi non *precisè ac seorsim*
pro solis Literis & Syllabis, sed *Concretive* pro Verbo Dei seriptione ex-
presso: Ubi quamvis Scriptura Sacra cum profanâ hoc *commune* habeat,
ut certum sensum significet & exprimat; Hoc tamen ex divinâ Institu-
tione habet *peculiare*, ut Sensum exprimat divinum, & insitâ vi polleat
homines illuminandi, emolliendi & Convertendi. Quæ ratione non
tantum signum est, sed & efficax Medium, ea quæ significat, efficien-
di.

33. Nee obstat, quod lidem opponunt, quod S. Scriptura illumina-
tionem & conversionem hominum non semper & ubique præstet: qua-
si inde sequatur aliquid à DEO frustra ordinatum esse: Respondemus
enim distingvendo inter *Actum primum & secundum*. Nam Scriptura
S. semper est efficax & vivifica actu primò; Quia verò Spiritus S. actum
secundum conversionis non vult producere in Homine ipsi resi-
stente, & obicem ponente; fieri solet per Accidens, ut Actus secundus
impediatur, idque non culpa Dei, aut Scripturæ, sed Hominis Spiritui
S. malitiosè resistentis. Deus enim non vult agere absolutè, aut per
omnem suam potentiam, sed certò ordine & secundum certam men-
suram

suram gratiz. Quare si homo non convertitur, non Deus, sed refractarius homo sine divinitus intentio frustratur.

34. Quod alterum Membrum spectat de *Necessitate*, quam diximus, sub Notione Utilitatis contineri, hoc intellectum volumus de *divina ordinatione & de certo statu Ecclesie*. Nim. postquam Deus verbum suum scripto tradi curavit, Ecclesiam ab eo tempore ad scripturam tanquam ad ordinariam Veritatis Regulam magis magisque adstrinxit: maxime vero hoc novissimo tempore, quo immediata illuminatio cessavit. Quod *Bellarmino* oppositum volumus, qui l. 4. de verbo Dei cap. 4. contendit, feliciter constitisse & viguisse Ecclesiam ante Moysen per annos bis mille absque Scriptura, contentam sola orali predicatione: vicissim a Christi adventu de Novo nihil actutum scriptum fuisse, sed demum post illius assumptionem, & quidem non nisi sensim ac successivè per occasionem. *Ut ut igitur usum aliquem prestare possit Scriptura, non tamen ita necessariam esse, quin Ecclesia sine illa consistere possit.*

35. Resp. Distinguiamus enim partim inter diversam Dei dispositionem, partim inter diversum statum Ecclesie. Fatemur Ecclesiam ante Moysen fuisse sine Scriptura, quia Deus tum temporis Scripturam nondum promulgavit: Cum autem posterioribus temporibus ipsi Scripturam proposuerit, hoc ipso illam ad hanc dispositionem adstrinxit. Deinde Ecclesia priorum temporum habuit θεόπνευστος Patriarchas & Prophetas, frequentes item & novas subinde revelationes extraordinarias, ut nisi Deo visum esset, novam rationem instituire & per Scripturam futuræ necessitati providere, potuisset priori dispensatione contenta manere: Verum cum successu temporis Viri θεόπνευστος decederent, & donum extraordinariæ εὐλαμψευς magis magisque cessaret, Deus illum defectum per Scripturam compensavit, & per eam Ecclesie adversus errores ac corruptelas consulum & prospectum voluit.)

36. Itaque prorsus ἀνακόλυθου est Argumentum Jesuiticum, quo dicitur: *Quocumque nondum promulgato Ecclesia Viris θεόπνευστος & frequentibus revelationibus instructa, potuit carere; eodem nunc dato & promulgato potest etiam Ecclesia posteriorum temporum, qua donis Extraordinariis destituitur, carere.* Quod enim prius necessarium non erat, donec Deus aliis modo uti vellet; Postea necessarium factum est, quando priori modo sublatò hoc noviter à Deo introductum & promulge-

mulgatum est. Sic anteriorum temporum Patriarchæ poterant ele-
umcisione carere: postquam autem Deus eam promulgarat, impu-
nè non poterant eam posteri negligere, Gen. 17. 14. Similiter postquam
Deus Scripturam promulgavit, & immediatam illuminationem ces-
sare passus est, Scripturæ usus ex divinâ dispositione Ecclesiæ necessa-
rius est.

37. Ad quos verò tandem Usus S. Scripturæ sese extendat, Apосто-
lus nunc porro explicat distinctius, quando scribit eam utilem esse *ad*
Doctrinam, ad redargutionem, ad correctionem, & ad institutionem in
Justitiâ, ut integer sit, Homo Dei, ad omne opus bonum apparatus. Quibus
verbis efficaciam illius extendit ad omnes usus in Ecclesiâ necessarios,
tùm quoad Doctrinam, tùm quoad Ecclesiæ adificationem.

38. Quod enim Articulus fidei attinet, utilis est Scriptura, partim
αδιδασκαλίαν seu Doctrinam, qua proponatur, explicetur & adse-
ratur Veritas salvificæ Doctrinæ, quantum ad salutem scitu necessari-
um fuerit; partim verò ad *ἐλεγχον* seu redargutionem falsitatis & cor-
ruptelarum, quæ veritati assuuntur vel opponuntur, qualis corrupte-
la erat Pseudo-Apostolorum Opinio de coadmittenda Lege ad Justi-
ficationem hominis peccatoris coràm Deo; quam Apostolus redar-
guit & refutavit, Rom. 3. 20-28. Gal. 2, 16.

39. Quod autem Ecclesiam spectat, utilis est S. Scriptura *πρὸς ἐπανόρθω-
σιν καὶ παιδείαν τὴν ἐν δικαιοσύνῃ* ad correctionem & ad Institutionem,
quæ est in Justitiâ. *Correctio malitiæ & perversitatis præcedit, quia ho-*
mo inde usque ab uterò corruptus est, & naturâ filius iræ, Eph. 2, 3.
quin, etiam ex parte carnalis est, donec hanc vitam agit, Rom. 7, 14.
& post renascentiam haud rarò recidivam patitur. Quare prædica-
tione pœnitentiæ & Correctione opus habet, quam Scriptura præstat
per Legem, *ut omne os obturetur & totus Mundus obnoxius fiat DEO,*
Rom. 3, 19. Deinde sequitur *παιδεία* sive *Institutio in Justitiâ*, quâ ho-
mines informantur de Viâ salutis, de Christò Redemptore, de Fide,
de Justificatione, de nova obedientia. Sic enim Christus ipse prædi-
cabat; *agite pœnitentiam & credite Evangelio, Marc. 1, 15.* Quod monet
de agenda pœnitentiâ, *ἐπανορθώσεως* est; quod verò jubet Evangelio
credere, pertinet ad *παιδείαν*. Similiter Apostolus Petrus percontan-
tibus Auditoribus, quid factò opus esset; *Pœnitentiam*, dicebat, *agite*

Et baptizetur Unusquisq; vestrum in Nomine JESU Christi, in remissionem peccatorum vestrorum. Act. 2, 38. Ubi vicissim Commonefactio de poenitentia ad ἐπιπέρασιν; Cætera verò ad παύσιαν referenda sunt. 40. Atq; hæc illuc spectant, ut Homo DEI ad omne opus bonum aptus sit. Quibus Verbis Apostolus agit de Ministerio & dispensatione Verbi divini seu Scripturæ S. ad Usus Ecclesiæ. Homo DEI aliàs אֱלֹהִים שָׂרָא, Sam. 9, 6. Vir Dei, est Antistes Sacrorum seu Minister Ecclesiæ, sic dictus à divinò Munere, quò fungitur, & à fine officii ultimò, qui est gloria Dei. Nam Minister Ecclesiæ est Dispensator Mysteriorum Dei, 1. Cor. 4, 3. & Legatione fungitur pro Christo. 2. Cor. 5, 20. Requisitum ejus est ἀπαι ἀπτιον καὶ ἐμπρομένον aptum & perfectum. Quà Notatione Apostolus significat aptitudinem Ministri Ecclesiæ per accuratam Institutionem, Lectionem isem, & Meditationem Scripturarum, nec nõ per alia Sacra Progymnasmata, comparatam. Ἀπτιος aptus ac idoneus, præcisè significat habitum vel statum perfectionis, sive ut ita loquar, idoneitatis. ἐμπρομένον verò connotat præexercitationem, quã quis aptatus & ad obeundam functionem Ecclesiasticam idoneus redditus, adeoque ad aptitudinem illam provectus sit. Cum enim cessatura esset Immediata divina Inspiratio, reliquum erat, ut, qui Ecclesiæ deinceps officia sua probaturus esset, dona meliora & ad ædificationem Ecclesiæ necessaria sectaretur, 1. Cor. 12, 33. inprimis verò frequens imò totus esset in scrutiniò Sacrarum Literarum.

41. Ex his jam porrò facile colligitur, quod S. Scriptura sit perfecta & sufficiens, ad præstandum Ecclesiæ ea, quæ Deus ipsi per Ministerium ad salutem consequendam præstari voluit. Complectitur enim illa Legem & Evangelium tanquam Summa capita salvificæ doctrinæ, per quæ Spiritus S. in Cordibus nostris operatur poenitentiam & remissionem peccatorum; quò amplius Christus Ipse nihil prædicari voluit, Luc. 24, 47. Tum etiam utilis est ad omne bonum opus, quod consummatus Ecclesiæ Doctor sive in assertionem veræ & refutationem falsæ doctrinæ; sive in Institutione & ædificatione Ecclesiæ per Dei gratiam præstare tenetur, quemadmodum h. l. Apostolus conceptis verbis adseverat. Denique potens est & utilis S. Scriptura erudire hominem & aptare ad salutem, sicut alibi vocatur, potentia Dei ad salu-

sem omni credenti. Rom. 1, 16. Ut ab homine Christiano ad Pedagogi-
am salutis nihil amplius jure possit desiderari.

42. Quæ Bellarminus objicit partim de jacturâ quorundam Libro-
rum Biblicorum, partim de defectu eorum quæ ignorari non posse, nec
tamèn in Scripturâ contineri contendit, tanti momenti non sunt, ut
propterea Traditiones, quas vocat *non scriptas*, pari pietatis adfectu susci-
pere debeamus. Primum enim nondum probavit, quod quidam Li-
bri Biblici perierint. Sanè in Canone, hòc titulò non censetur Liber
bellorum Domini, Liber Justorum, Liber Nathanis, Ahia, Iddonis,
quorum tamen alibi in Sacris mentio fit Num. 24. Jer. 10. 2. Chron. 9, 29.
Veruntamèn hinc non actutum sequitur, scripta illa profus interei-
disse. Quid si enim tanquam particulares historiarum aliis Libris Histori-
eis secundum ordinem Temporum insertæ & conjunctæ essent? Tum
si maximè unus vel alter Tractatus amissus esset, decessisset aliquid
quidem de abundantia: non tamen de sufficientiâ Scripturæ. Nam
quantum ejus adhuc extabat tempore Apostoli Pauli, utile erat ad o-
mne bonum opus Ministri Ecclesiastici: & Christus ad scripturas ab-
legabat Judæos non improbatâ ipsorum Sententiâ, qua statuebant se
Vitam in illis habere, Joh 5, 39. Hactenus autem nihil desideratur, quod
interea de Canone Judæorum amissam fuerit. Ergò quantum de S.
Scriptura adhuc extat, adhuc etiam sufficiens est ad præstandum o-
mnes usus Christiano necessarios.

43. Quod verò illa puncta attinet, quæ Jesuita scitu quidem ne-
cessaria esse, sed tamen in S. Codice desiderari contendit, v. g. de Me-
diò regenerationis Femellarum sub Circumcisione, de Masculis ante
octavum diem decedentibus, de Justificatione Profelytorum non Circū-
cisorum, de probatione Canonis, de Virginitate Mariæ *τῆς Θεοτόκου*
ea ferè non est operæ pretium recensere. Ut tamen singula breviter
perstringamus ad primum dicimus regenitas fuisse femellas etiam
ante promulgatam Circumcisionem. Cum ergò Circumcisio pro
solis Masculis instituta fuerit, sexum sequiorem priori Mediò contē-
tam mansisse. Habuerunt tamen & sacrificium purgationis, cujus u-
su participarunt de foedere Dei cum Abrahamò pro ipso & semine ipsi-
us inito. De Masculis ante Circumcisionem denatis arbitramur in eius-

modi casibus, qui sub communi Regulâ non continentur, frustra quari de ordinario Medio. Deus, qui illos à communi ordine exemit, optimè noverit, quomodo eos susceperit oblatos per preces Ecclesie & imprimis parentum. Nec quicquam ad salutem hominum refert, si ve quis hoc inquirat, si ve æquo animo ignoret. *Profelytos* Circumcisioni simpliciter non adstrictos fuisse, nisi cum Judæoram familiâ coalescere vellent, ac propterea sine Circumcisione, per fidem Justos & salvos fieri potuisse certum est, siquidem & Abraham adhuc in præputiô fidei & justificationis testimonium consecutus est, Rom. 4. 30. *Quæstio de Canone & Autoritate S. Scripturæ* est ferè Historica, cujus cognitio per se ad salutem scitu non necessaria est. Probatum tamen partim ex Testimoniis Ecclesie externò, partim ex Testimonio ipsius Scripturæ, & ibi contentâ incredibile Harmoniâ Doctrinâ à diversis Scriptoribus diversis in locis ac temporibus promulgatæ: *sublimitate Mysteriorum & infallibili veritate vaticiniorum*: partim ex Testimonio denique Spiritus Sancti. internò, de quò S. Paulus, Rom. 8. 17. & B. Johannes, 1. Joh. 5. 6. 10. De Virginitate Mariæ quantum ad susceptionem JESU IMmanuelis, habemus Testimonium scriptum, Jes. 7. 14. Matth. 1. 20. 23. 25. Quod verò post partum Virgo manserit; non est Articulus fidei, tenetur tamen communiter, cum contrarium evidenter non possit demonstrari. Basilii ea de re hoc est judicium in Tract. de humana Christi Gener. *Donec dispensabatur Christi generatio, necessaria erat Virginitas. Quid verò postea sit factum, ad Mysterii hujus Doctrinam non est adjungendum.*

44. Sed hæc & id genus alia pleraque non agunt de Fide, sed vel de Historicis vel ceremonialibus rebus, quorum cognitio non necessaria est ad salutem. Aut si olim fuerit, peti potuit ex dispositione Virorum immediatè illuminatorum, quorum opera Deus tùm temporis in Ecclesia utebatur. Tùm multa hujusmodi ex ipsa Scriptura possunt deduci. Sunt enim quædam in Scriptura *ἀπὸ λέξεως* & secundum litteram, quædam verò καὶ ἀπολογισμῶν per bonam consequentiam inde possunt deduci. Sic cùm Deus Mose dixisset: *Ego sum Deus Abraham, Isaac & Jacob*, Exod. 3, 6. Christus ait, ibi de Resurrectione Mortuorum

rum

rum dictum & actum esse; Et exstructio in de argumentò per bonam consequentiam probat articulum de Resurrectione Mortuorum Matth. 22, 33.

45 Iniquum ergò est postulatum Jesuitarum, quò à nobis requirunt, ut solius Scripturæ verbis Theses nostras adstruamus & Antitheses illorum refellamus; Quasi Lutherani sese jamdudum ad hoc obtulerint & obstrinxerint, quod ex solâ Scripturâ vellent suam Doctrinam adversus Romano-Catholicos tueri. Quando enim nostri ad solam Scripturam provocant, non Literam consequentia, sed verbum scriptum traditionibus ἀγράφοις opponunt. Nam & illud sub Notione Scripturæ continetur, quod per ἑυρωσον ἀπολὸ θησιῶν & accuratam consequentiam ex verbo Dei scriptò deducitur, quamvis ἀπολεξὴ ἰβὶ non habeatur, quemadmodum in allegato Loco Mosaico *Articulus de Resurrectione Mortuorum*, non quoad ipsam Literam, aut in Terminis Terminantibus; sed solùm quoad consequentiam continebatur; & Christus tamen redarguebat Sadducæos, quod nescirent *Scripturas*, Matth. 22, 28.

49. Nos igitur missis Traditionibus Papisticis in solo verbo Dei scripto acquiescimus, quod sciamus, illud nos ad salutem sufficienter credere posse. *Hac enim, inquit novissimus scriptor Θεόπνευστος, scripta sunt, ut credatis, qui a JESUS est Christus Filius Dei; & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.* Joh. 20, 31.

Præstantissimo Dn. Respondenti Amico dilectò.

Hæc demum vera est sapientia, gloria vera,
Quam Divina docent Biblia, verba Dei,
Felix qui studiis tam sanctis deditus omnes
Intendit vires, ausibus ingenuis.

Hoc agis assiduò, hoc præstas, divina frequenter
Dogmata scrutaris, summa profunda, petis.
Gratulor hos orsus, partis virtutibus instas,
Ut Patriæ fias fida columna tuæ.

Johan. Scharfius D.

Kaum

D Num ist der Tag hinweg/da Buchner (den die Weisen
Bis an das Sternen-Dach mit vollem Munde preisen)
nach aufgestandnem Krieg geschenecket dir die Krohn/
so dem/der Kunst beliedt/ Apollo läst zum Lohn.

Heut/sihe! trittst du auff/beweisest fast von neuen
Wie du mit freiem Muth mit nichten nicht wilst scheuen
Den Ort/wo mau noch mehr umb eine Krohne kämpft/
Wo wanden Neueling und alten Ketzler dämpft.
Die Waffen seyn die Schrift/die Schrift wilst du ver-

fechten/
Der Hochbegabte Sinn/Derr Kunad/steht zur Rech-

ten
Und furchtet keinen feil. Nubu kämpft mit sondern
Glück/
erhaltet Sieg und Krohn/der Feind weich hinder-

rückt!
Dieses wolte
Seinem Vielgeehrten Herrn Landsman
und Wehrten Bruder-Freund nechst
Herzlicher Glückwünschung
Verfertigen

Johann Jacob Bihlein/von Koburg/
Beyder R. B.

M. JOHANNES ADAMUS FABER

ἀναγραμματισμὸς
AH BONE! DEUM AMAS, FARIS.

διαστροφῆς.

Dulcius esse nihil nobis, nil suavius unquam
Quam qua diligimus, dicere perpetuò.
Quemq; DEUS quod AMAS cunctis sit, FARIER infis.
Conscendens cathedram latitiâ illam animi.
Hunc coluisse juvat, scriptura sacrata revelat,
Hac Tua cura, tuum delictumq; frequens
Hoc pietatis opus penset Venerabile Numen
AH BONE! quod calido pectore Gore precor.

Johannes Leonhardus R. C. Culmb. Francus.


• Elencbús tractatiónu hoc volum: comprehensivum.


1. BECCERI analysi Psalmi secundi.
2. GESNERI contra primatum Romani Pontificis.
3. HUTTNERI Theoremata tria ex Jobann: 1. 29.
4. FÖRSTERI medulla capit: 53. Esai:
5. Eiusd: Disputationes V. in c. 53. Esai:
6. WINKELM: Disput: ex Jobann: III. 16.
7. Eiusd: Disput: ex Jerem: 23. 3. 4. 5. 5. 7. 8.
8. MAJORIS apobupis oraculi Apostolici 1. Jobann: 1. 7.
9. THUMMII ex h: verbis dicti Paulini Coloss: 2. 9.
10. FRORESENII Disput: de 7 Verbis Christi novissimis. Autor DANUBIENSIS.
11. SCHMIDT ex h: verbis dicti Evangelici Luc: XI. 28.
12. Eiusd: de peccator Confes: penitentiali ex Job: 24. 13.
13. BERGII de loco Prop: II. 22 - 31.
14. HÖFFNERI de primigenia hominis conditione, ex Gen: 1. 26. 27.
15. WILHELM: ZYSERI Diaboli oraculi Job: 1. 29.
16. Eiusd: Explicatio Ps. 14. 1. 2. 3.
17. Eiusd: de Anti. Christo ex 2. Thessal: 2.
18. BULAI ex h: verbis dicti Hof: XIII. 9.
19. HÜLSMANNI meditatio ad dictum Rom: IV. 25.
20. LANGII protuevangeliu, Genes: 3. 15.
21. Eiusd: Jesus typicus in sacrificiis veteru ostensus.
22. MARTINI assertio theologic: de curia ad locu Jerem: XXXI. 31 - 34.
23. HENRICI mysteriu economie ex dicto ad Coloss: 2. 9.
24. CUNDISII exercitatio theol: ex Esai: 49. 22. 23.
25. Ziegria expositio Psalmi 2.
26. LANGGE septem verba Christi.
27. KUNZE Disput: ex 1. Tim: 3. 16.
28. Eiusd: de Confessione dominis ab infidelitate ad fidem.
29. GERHARDI Cyrillus.
30. OLEARI lumen gentium Luc: II. decantatum.
31. 32. Programma ex Gen: 49. 11. 12. Aliud ex Apocal: 1. 4.
33. ZILLI philologia in Esai: 1. 4.
34. BOSII Evangelium anathemate desensu, Galat: 1. 6. 7. 8. 9.
35. ALBERTI magnificentia divina Joel: 2. 28. 29.
36. NIEMANNI de Christi delevisti querela, Matth: 27. 46.
37. THILONIS Disput: ex 1. Corinths: 2. 14. 15.
38. MEYCKENII Exercit: theol: ad Rom: II. 31. 32.

ung II 18

VD 17

Z





cc)

EEOLOGICA

SCRIPTU.

1773. 3. 10.

Wittebergensi
DIO

mi, Excellentissimi

LUNADI, S.S.

Consistorij Electoralis
mor. Elect. Ephori

q; Promotoris sui sem
olend
dans collationem

IORUTHO - FR.

nn. Brandenb.


embr.

jori.



G A,

KE, M DC LIII.



B.I.G.

Farbkarte #13

